



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An finis sit vera causa realis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

se esse sufficientem ad suam actionem, illam poterit exercere absq. concursu celi. Et similiter, quamuis virtus inferioris cause sit insufficientis ad periciendam totam generationem, deusq. illi omnino celeste auxilium, uno potius ei resistat, eaq. ratione non possit generationem perficere, nihilominus efficit aliquam alterationem, vel dispositionem remotam, ad quam talis virtus per se sufficit.

Soluntur rationes oppositae.

Ratio igitur dubitandi in principio posita ex praedictis soluta manet: nam omnia dicta Aristotelis & aliorum Philosophorum de influxu caelorum, & de dependentia inferiorum agentium ab illis sufficienter intelliguntur iuxta modum subordinationis, & dependentiae a nobis explicatum. Ad rationem autem laeuellire respondetur, actionem agentis generabilis & corruptibilis per se & intrinsece non necessario pendere ab alio agente incorruptibili praeter primam causam: quod si aliquando pederet, solum est quando virtus talis agentis est per se insufficientis & iuuatur ex consortio superioris corporis incorruptibilis. Probatio autem quam adducit laeuellus est in meditatione actionis probabilis est, & potius suadet oppositum: nam immediatius agit prima causa in actionibus omnium corporum corruptibilium, quam caelum. Aliis vero confirmationes solutae sunt ex dictis de subordinatione per se, ac de modo quo caelum influat cum inferioribus causis. Quod vero ibi tangitur de cessatione omnium inferiorum actionum cessante motu celi, in eo sensu improbabile est scilicet de momentanea cessatione, ppter dependentiam essentialem: nam motus celi non est per se causa, sed solum applicatio ad agendum. Solum ergo dici posset, q. ex eo tempore vel momento cessarent omnia, quia ex tunc inciperent corrumpi, & deficere: de quo alia. Videatur D. Thom. qui id infinuat d. opusc. 10. art. 23. in fin. & latius id tradit Sonc. 12. Met. q. 13. cum aliis supra citatis.

Vltimo ex his facile resolui potest aliud punctum supra tactum de virtutibus subordinatis eiusdem suppositi: in illis enim contingit esse dependentiam essentialem in agendo inter plures virtutes, quia multo magis sunt inter se connexae quam supposita diuersa. Semper tamen in huiusmodi subordinatione: si sit per se ac Physica, & in genere causae efficientis, inferior virtus comparatur vt instrumentalis ad superiorem cui subordinatur. Et hoc modo facultates animae pendunt essentialiter ab anima in operationibus vitae, & species intentionalis a potentia, in qua vt in subiecto existit. Et ad idem reducitur dependentia quam in agendo habet habitus a potentia quam afficit. Dixi autem sit per se &c. quia intellectus aliquo modo subordinatur voluntati in aliquibus actionibus suis, non tamen vt per se ac principaliter cooperanti, sed vt applicanti tantum & mouenti ad agendum. Et e contrario voluntas subordinatur intellectui, non tamen vt coefficienti, sed vt applicanti finalem causam. Vbi cunq. igitur est subordinatio per se, interuenit aliqua ratio instrumenti coniuncti & principalis agentis: sub qua ratione tale instrumentum per se solum est insufficientis principium talis actionis, & effectus.

DISPUTATIO XXIII.

De causa finali in communi.



Quamuis finalis causa praecipua quodammodo omnium sit, atque etiam prior, obscurior tamen est eius causa di ratio, & ideo veteribus Philosophis paene incognita fuit, ob quam ignoratorem in alios errores circa rerum naturalium cognitionem Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

inciderunt, vt Arist. tractat. 2. Phys. ca. 8. & 1. Met. & 1. de partibus animal. in principio. Ob hac ergo rationem, licet in superioribus de finitum sit finem annumerandum esse inter quatuor causarum genera, vt hoc magis exponamus, & difficultates dissoluamus, inquirendum in primis erit, an finis sit causa, deinde quomodo & quid causet, quod duplex etiam sit finis, & quae sit vniuscuiusque cauand ratio.

SECTIO I.

An finis sit vera causa realis.



Ratio dubitandi in primis est, quia de ratione causae est vt sit principium, vt ex definitione a nobis superius tradita constat, sed finis non est principium, nam potius opponitur principio, vt ex ipso nomine finis constat, & significat Arist. 3. Met. tex. 3.

Secundo de ratione causae realis est vt per se ac realiter influat in effectum, vt supra in definitione causae positum est, sed finis non influat esse realiter in effectum: ergo non est causa. Probatur minor, quia vel finis influat antequam sit, vel postquam iam est. non primum, nam quod non est, quoniam realem influxum habere potest, cum fundamentum totius operationis, & similiter totius causalitatis sit esse? Neq. etiam dici potest secundum, quia quando finis est, iam tunc cessat actio & causalitas agentis: ergo iam non est tunc necessaria causalitas finis.

Tertio, quia nihil potest esse causa realis sui ipsius: sed forma, test e Aristotele, est finis generationis naturalis, quia ipsa forma fit: vt sanitas est finis curationis qua acquiritur: ergo quatenus est finis, non potest habere veram rationem causae realis. Dices, formam esse finem generationis, quae ab ipsa distinguitur. Sed contra, quia nihil potest esse causa realis productionis rei, nisi sit etiam causa rei productae, quia non causatur res nisi per actionem qua fit: sed forma non potest esse causa realis sui ipsius: ergo neque generationis qua ipsa forma fit. Vnde confirmatur, nam causa realis dicit relationem realem ad effectum: finis autem non est capax huiusmodi relationis, cum quia vel quando causat non habet esse reale, vel quando habet esse reale, nec causat, nec distinguitur ab effectu.

Quarta ac praecipua ratio dubitandi est quia finis considerari potest aut in ratione principij mouentis & allicientis agens ad agendum, vel in ratione termini ad quem tendit actio: haec enim duplex ratio distingui solet a Philosophis in obiecto alicuius potentiae, scilicet obiecti motui & terminatiui: eademque distinctio locum habet in fine, qui est obiectum voluntatis. Sed sub neutra ratione potest finis habere veram rationem causae. Et in primis de ratione termini videtur manifestum, tum quia vt sic potius habet rationem effectus, quam causae, vt sic est postremum actionis, non origo eius: denique vt sic non influat, sed potius aliarum causarum influxus in illum tendit. Deinde neque sub altera ratione mouentis potest habere rationem causae, nam vt sentit Aristoteles 1. de Generation. text. 55. motio finis tantum est metaphorica: non est ergo vera & realis: ergo non sufficit ad causalitatem realem. Et confirmatur primo, quia etiam in Deo reperitur haec motio metaphorica finis, nam re vera Deus propter bonitatem suam, a qua eius voluntas metaphorice mouetur seu allicitur, communiat se creaturis, & tamen dici non potest quod ille finis habet veram causalitatem circa Deum. Et confirmatur secundo, quia si finis sub hac ratione tantum habet rationem causae: ergo saltem respectu agentium naturalium non potest finis esse causa realis, quia non potest illa mouere seu allicere ad sui amorem.

Atque hinc oritur quinta difficultas, quia hinc euertitur totum fundamentum, ob quod a Philosophis

I. Rationes dubitandi. Prima.

II. Secunda.

III. Tertia.

IV. Quarta.

V.

Y y phi

his introductum est hoc genus causæ, nimirum quia agentia naturalia non operantur casu aut fortuito, sed in determinatos fines suis actionibus tendunt. Ex hoc enim fundamento seu iudicio solum colligitur, habere res naturales definitos terminos suarum propensionum & inclinationum naturalium: id enim factum est ut non casu, sed per se operentur determinatos effectus, etiam si nullum aliud genus causalitatis intercedat. Sicut dicunt Theologi æternum Patrem per se ac definite tendere (ut sic loquar) per generationem in talem terminum, nempe in hunc filium, non ex causalitate finis, sed ex determinatione naturæ. Et in naturalibus lapis naturali inclinatione definite tendit in locum infernum, etiam si locus ille nullum genus causalitatis habeat circa illum motum, sed solum ratione termini, ad quem lapis habet naturalem propensionem. Idemque dici potest de operante per appetitum elicito siue ex necessitate, siue libere, quod nimirum moueatur motu elicito in obiectum sibi propositum, quia talis motus consentaneus est inclinationi naturali ipsius potentie in tale obiectum, absque alia causalitate illius obiecti in talem actum: ergo nullum est sufficiens fundamentum, ut fini tribuamus veram rationem causæ.

VI.
Sexta.

Sexta & ultima difficultas sit, quia non potest satis explicari quid, vel circa quid finis causet. Aut enim causat aliquid in ipsum agens: & hoc non potest vniuersè dici, quia licet in agentibus creatis voluntariis possit aliquo modo defendi, non tamen in agentibus naturalibus, nec in Deo, qui est agens voluntarium increatum. Vel causat aliquid in ipso effectu, & hoc habet in vniuersum difficultatem supra tactam in tertio argumento; & præterea habet specialem difficultatem in agentibus voluntariis creatis, quia tota causalitas finis, qualiscunque illa sit, videtur versari circa voluntates talium agentium: circa effectus autem eorum non nisi remote, & per accidens; ideoque effectus non habebunt propriam causam finalem.

Quæstionis resolutio.

VII.

Nilominus statuenda est conclusio certa, Finem esse veram, propriam, ac realem causam. Hoc est receptum dogma, & quasi primum principium in philosophia, & Theologia. Illud docuit Aristoteles 2. Metaphysicæ capite 3. & lib. 11. ca. 1. & 2. Physicæ cap. & sequentibus: & ante illum docuerat Plato in Phædone, ubi in eandem sententiam refert Socratem: imo ille solum finem vult esse causam, forte per antonomasiam, id est, primam & præcipuam: de quo dicemus infra in comparatione causarum. Ratio autem sumi in primis potest ex communi modo loquendi de fine & de causa, nam finis esse dicitur propter quem aliquid fit, vel est: in hunc enim modum Aristoteles finem ubique describit: constat autem, particulam illam propter causalitatem significare: vnaquæque enim res propter causam suam dicitur habere esse: ergo signum est finem habere rationem causæ. Præterea, causa efficiens nisi temere agat, alicuius gratia agere debet: ergo & ipse effectus causæ efficientis ut per se ab illa fieri possit, intrinsece postulat ut alicuius gratia fiat: ergo talis effectus sicut per se pendet ab efficiente ut à quo fit, ita in suo genere per se pendet ab aliquo cuius gratia fit: ille autem est finis: ergo per se pendet à fine: ergo & contrariio finis est vera causa eius rei quæ propter finem fit.

VIII.

Sed in hac re non tam oportet rationes multiplicare, quam rem exponere, ut difficultates soluantur, & finis causalitas, quæ obscura est, declaretur: huc enim tendunt difficultates in principio positæ, non ut res certa in dubium reuocetur: Ut autem hoc distinctius fiat, distinguamus tria agentia propter finem. Primum & supremum est intellectuale agens increatum, quod est solus Deus. In secundo ac medio ordine sunt agentia intellectualia creata: inter quæ no-

bis notiores sunt homines, & ideo de illis semper loquimur, quamuis eadem ratio sit de intelligentiis creatis. In tertio & infimo ordine sunt agentia naturalia, seu intellectu carentia, quamuis inter ea nonnulla sit differentia eorum, quæ sensum & appetitum habent, & reliquorum, quam etiam suo loco indicabimus. Causalitas ergo finis licet suo modo locum habeat in actionibus horum omnium agentium, tamen in creatis agentibus intellectualibus nobis notior est, & Maiorem quandam proprietatem, & specialem modum habet, & ideo in illis peculiariter declarabimus hanc causalitatem finis, & expediemus difficultates circa eam insurgentes: postea vero de aliis agentibus dicemus. Igitur quod in agentibus creatis per intellectum & voluntatem intercedat causalitas finis, sufficiens argumentum sumitur ex humanis actionibus. Constat enim nobis experientia, intendere nos cum humano modo, id est, libero & rationali, operamur certum aliquem finem, in quem actiones nostras dirigimus, & propter quem media eligimus: mouemur ergo à fine, tum ad dilectionem seu intentionem sui, tum ad eligenda & exequenda media propter illum: hæc autem motio aliquid est in rerum natura, non est enim aliquid imaginarium vel fictum per intellectum; & aliquid genus causalitatis est, quandoquidem est origo operationum realium: est ergo finis vera & realis causa. Et hinc etiam obiter constat hanc causalitatem maximè habere locum in agentibus intellectualibus, quia illa maximè possunt cognoscere finem & media, & ordinem vniuersum ad alterum, & propriam vniuersumque rationem.

Rationes dubitandi solvuntur.

Argumenta in principio facta partim postulant difficultates proprias pertinentes ad Deum, & ad infima agentia naturalia, partim inculcantes, quæ de causa tractari possunt, hæc autem sunt illa omnia quæ de cæteris causis tractantur, ut innuauit Cartesian. 1. p. quæst. 5. art. 4. & 2. 2. quæst. 17. art. 5, scilicet, quæ res possint finaliter causare, per quid seu quæ sit illis ratio causandi, vel tanquam principalis ratio veluti quæ proxima. Item quæ sit necessaria conditio, quæ effectus: in quo denique consistat eius causalitas, quod hic est omnium obscurissimum. Ne igitur omnia hæc inuoluamus, & confundamus, in sectionibus sequentibus distincte tractanda erunt: ergo exacta argumentorum solutio vique ad finem disputationis erit expectanda. Nunc perfunctorie per singula discurremus.

Ad primum negamus minorem, scilicet, finem non esse principium, nam eo modo quo est primum quid, habet rationem principij: est autem finis primum in intentione, quamuis sit vltimus in executione. Arist. autem in dicto loco tertij Metaph. non opponit finem omni principio, sed principio motus, per quod causam efficientem intelligit, quæ distinguit à finali.

Ad secundum negatur minor, scilicet, finem non influere realiter: ad probationem autem communis responsio est, finem influere quando non est in re, sed tantum in apprehensione seu cognitione. Sed distinctione opus est, tam ex parte finis, quam ex parte effectus seu actionis, quæ finis causat. Nam, ut sectione sequente dicam, finis alius est cuius gratia fit actio, alius vero cui finis acquiritur: item alius est finis formalis ut visio Dei, & alius obiectiuus ut Deus ipse: item finis causare potest desiderium sui, vel etiam potest causare quietem vel delectationem, quæ omnia mox declarabimus. Finis ergo cui, non causat nisi quando existit: dicitur enim finis cui ipsummet agens, quatenus propter se vel in suum commodum operatur, quod non potest facere nisi existat. Item finis obiectiuus potest etiam supponi existens, quando finaliter cau-

ter causat, vt Deus, propter quem videndum ad bene operandum mouemur. Rursus finis formalis, seu consecutio finis intenti non causat delectationem seu fruitionem sui nisi quando existit, qua delectatio non est nisi de bono possessio: quod si sit de spe eius, tunc ipsa spes habet rationem imperfectæ consecutionis. In his ergo omnibus non procedit illud argumentum, quia existente fine obiectiuo vel fine cui (qui claritatis gratia posset subiectiuus appellari) (non cessat inquisitio, nec causalitas finis, nisi ad sit etiam consecutio finis, & hac obiecta, quauis cesset motus in finem per modum desiderij, non tamen per modum quietis & delectationis. Solum ergo de fine formali, seu consecutione finis verum est per se loquendo quod causat sui desiderium quando non est in re, & de illo recte responsum est, sufficere quod sit in apprehensione & iudicio intellectus, eo quod eius motio intentionalis sit, & (vt ita dicam) animalis, per sympathiam & consonantiam potentiariam animæ, intellectus scilicet & voluntatis.

Tertium argumentum postulat quid causet finis, & specialiter attingit difficultatem quomodo forma sit finis generationis naturalis, quod spectat ad difficultatem de naturalibus agentibus infra tractandâ; & ideo breuiter nunc dicitur, finem causare desiderium sui, seu alium similem affectum erga seipsum, & ita non causare immediate seipsum, sed aliquid distinctum à se. Et hinc etiam constat ad confirmationem, ex hac parte non repugnare relationem causæ in fine esse realem: est enim sufficiens distinctio inter ipsam, & talem effectum, & quando ipse finis non sit in re distinctus ab effectu eius, dicemus sect. 3.

An vero ex alio capite repugnet illam relationem esse realem, nimirum ex eo quod finis ipse non habet esse reale dum causat, res est dubia & controuersa. Soncinas 5. Metaph. qu. 3. & Iauellus, q. 6. aiunt, illud esse obiectiuum, quo finis habet in intellectu, sufficere vt realiter referatur ad effectum: sed id difficile creditur est, nam illud esse obiectiuum in ipso fine nihil reipsonit, sed solum denominationem extrinsecam ab actu qui realiter est in intellectu: ille autem actus non refertur realiter ad effectum causæ finalis, quia non concurret per se ad illum, vt infra dicam. Melius ergo respondent, qui negant ad omnem causalitatem realem sequi relationem realem in causa: non est enim necesse ex vi causalitatis, si aliz conditiones non concurrant, vt patet in causalitate Dei effectiua. Vnde addo, etiam si finis existat dum causat, non refertur realiter ad sui effectum, quia in suo modo causandi est superioris cuiusdam rationis, quia ipse nullo modo ordinatur ad effectum, sed effectus ad ipsum. Quare etiam ex parte effectus admittatur hic relatio realis, quod est probabile, maxime quando effectus non tantum per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam habitudinem ordinatur in finem, iuxta ea quæ inferius declarabimus: nihilominus illa relatio censenda est non mutua, effectus enim refertur potest ad finem, quatenus ab eo pendet: vnde sicut ad hanc dependentiam satis est, quod finis præexistat in mente, ita etiam sufficit ad realem habitudinem transcendentelem, licet prædicamentalis forte non sit nisi ad finem actu existentem: tamen quia finis causat vt omnino immotus, & non ordinatus ad suum effectum, ideo non oportet vt ex parte eius relatio sit realis. Sicut enim Aristoteles dixit scientiam referri realiter ad scibile, non è contratio, ita nos dicere possumus de appetitione & appetibili: est enim eadem ratio: & similiter est eadem de appetibili, & de fine.

In quarto argumento multa tanguntur pertinentia ad Deum, & ad agentia naturalia: nunc illis quibuslibet, concedimus causalitatem conuenire fini vt habet rationem principij, & consequenter vt habet rationem mouentis. Eius autem motio dicitur metaphorica, non quia non sit realis: sed quia non sit per Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

influxum effectiuum, nec per motionem intentionalem & animalem: & ideo nihil obstat, quo minus vera ac propria sit eius causalitas.

Ad quintum quidquid sit de agentibus naturalibus, de quibus postea, respondetur, modum operandi intellectualem creaturarum non posse intelligi fine causalitate finis, quia re vera alliciuntur & mouentur à fine ad operandum: & quamuis ipsa habeant naturalem propensionem ab obiecta seu fines, ad quos per proprios vitales actus mouentur, tamen illa naturalis propensio non potest operari in suo genere, id est effectiue, nisi sufficienter applicato fine, & in suo genere concausante: & ita determinatio operationis, seu destinatio in certum scopum, quæ cernitur in agentibus, intellectualibus manifeste procedit non ex sola inclinatione naturali, sed ex causalitate finis. Ad sextum, quantum hic locus patitur, satis explicatum est, quid, vel circa quid finis causet: integram vero huius rei tractationem trademus inferius.

SECTIO II.

Quotuplex sit finis.



Ntequam progrediamur vterius ad explicanda cætera quæ proposuimus ad causalitatem finis pertinentia, oportet varias diuisiones, vel potius nominis significationes explicare, vt distincte intelligatur, de quo sit disputatio.

Prima diuisio finis, Cuius, & Cui.

Est ergo prima ac celebris diuisio finis in finem Cuius, & finem Cui, quæ sumpta est ex Aristotele 2. de anima cap. 4. vbi Argyropilus vertit finem quo & cui: sed priora verba sunt Græcis conformiora, & intentionem melius declarant, nam finis Cuius dicitur, cuius ad ipsius gratia homo mouetur vel operatur, vt est sanitas in curatione: finis Cui dicitur ille, cui alter finis procuratur, vt est homo in intentione sanitatis, nam licet homo curetur propter sanitatem, ipsam vero sanitatem sibi & in suum commodum querit.

Quæri vero potest, quis horum habeat propriam rationem finis. Quidam enim soli fini Cui illa attribuant, quod sentit Gab. in 2. d. 1. q. 5. sequens Ocham in 2. q. 3. art. 1. atque idem sentit Henricus quodlib. 2. q. 4. Et probatur: nam ille est proprie finis, in quo consistit intentio agentis, cætera enim potius habere videntur rationem mediourum: sed intentio solum sistit in fine cui cætera procurantur, nam ad illum omnia ordinantur: vnde sicut medium solum amatur, quatenus proportionatum est fini: ita finis Cuius solum amatur, quatenus est proportionatus, & conueniens fini Cui: ergo. Et confirmatur, nam finis amari debet amore amicitiae, vel saltem beneuolentiae, quia debet amari propter se: sed solus finis Cui ita amatur, nam finis Cuius amatur alteri, qui dicitur finis Cui: atque ita amor finis Cuius est concupiscentiae, alter vero est amicitiae seu beneuolentiae: & ideo finis Cui amatur simpliciter, finis autem Cuius tantum secundum quid, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 26. art. 4. dicentis, Illud amari simpliciter, cui amatur bonum: hoc autem bonum quod alteri, amatur tantum amari secundum quid.

Aliunde vero apparet, solum finem Cuius proprie habere rationem causæ finalis, nam Aristoteles, vbicunque hanc causam definit, per hoc eius rationem explicat, quod sit cuius gratia aliquid fit, vt patet 2. Physic. cap. 3. & 7. & 5. Metaph. cap. 2. & hac ratione dicit, finem esse primum in intentione, & vltimum in executione: & similiter ait, formam esse finem generationis, non vero ipsum generantem. Et ratio-